

Genus proximum est illud, sub quo species de qua quaeritur, immediate continetur. Huiusmodi est *animal* respectu Petri, *vivens* respectu animalis.

Differentia ultima seu specifica est ea quae cum genere proximo speciem constituit. *Rationalis* est differentia ultima speciei hominis.

CATEGORIAE seu PRAEDICAMENTA Quae Aristoteles *categorias*, latini, duce Boetio *praedicamenta* dixerunt : quo nomine significantur *classes* seu suprema quaedam rerum genera, ad quae reducuntur, et quibus propterea subsunt qualescunque idae specificae, vel categoriae haberi a nobis possunt, ita ut nulla earum detur quae in illis non contineatur. Sunt numero decem, quarum prima *substantiam* et alia novem *accidentia* complectuntur. In memoriae commodum antiqui disticho sequenti categorias omnes comprehenderunt :

<i>Arbor</i>	<i>sex</i>	<i>servos</i>	<i>ardore</i>	<i>refrigerat</i>	<i>ustos ;</i>
(Substantia	quantitas	relatio	qualitas	actio	passio)
<i>Ruri</i>	<i>cras</i>	<i>stabo</i>	<i>sed tunicatus</i>	<i>ero.</i>	
(Ubi	quando	situs	habitus)		

SIGNUM est res praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire (S. Aug) : sicut vestigio viso, transisse animal cuius vestigium est, cogitamus. Signa dividuntur in *formalia* et *instrumentalia*. Signa instrumentalia subdividuntur in *naturalia* et *dala* seu *arbitraria*.

Signum naturale est illud in quo connexio signi cum signato est independenter ab hominum institutione. Ita per homines non stat quin fumus significet ignem.

Signum artificiale seu arbitrarium est illud in quo connexio signi cum signato pendet ab hominum libera voluntate. Ita laurus est signum victoriae.